Opatovii Adami: Quaestio theologica de praedestinatione.

QVÆSTIO THEOLOGICA.

DE PRÆDESTINATIONE,

Ex Angelici Doctoris 1. p. q. 23.

Pro loco inter S. Th. Doctores, in Academia Crac: obtinendo.

A

M. ADAMO OPATOVIO,
In Collegio Sapientiæ Romano S. Th. Doctore, ad S. Annæ Decano.

Ad disputandum proposita.

In Lectorio DD. Theologorum, Anno Salutis, M. DC. XXVIII. Mense Iunio, Die Hora

CRACOVIÆ,
Jn Officina Francisci Cæsarij, Anno Dni. 1628.

In Stemma Illuſtriſſimi.



LVna dolore Crucis diſſecta, receſsit olympo,
Hæſit in amplexu, Crux precioſa tuo.
Hoc inſigne domus SISCOVI eſt, in Cruce paſſum,
Erigere in populo, & corda vouere Cruci.
Hoc ſigno æthereas victor proſterne phalanges,
Et pete cæleſtes, hoc præeunte domos.

Illustrissimo ac Reuerendissimo Domino,

D. MARTINO SZYSZKOWSKI, DEI ET APOSTOLICÆ Sedis Gratia Episcopo Cracouiensi, Duci Seueriensi, Vniuersitatis Studij Cracouiensis Cancellario dignissimo &c. &c.

PRodeo in aciem publici certaminis, Illustrissime Antistes, ita iubente Vniuersitate, atq; etiam Theologica facultate volente, de causa prædestinationis, rationum armis, ex fidei tamen reuelatis Mysteriis depromptis, cum sapientissimis Theologis dimicaturus. Quod munus quàm sit graue & arduum, nemo eorum non videt, qui etiam in aditu huius Mysterij, varios ac sinuosos recessus sunt experti. In subsidium enim exactioris intelligentiæ, plurimarum ac summè difficillimarum controuersiarum cogni-

tione, studio, & quadam perspicaci rerum sublimium comprehensione, tanquam auxiliaribus copiis indiget. Hæc prouidentiæ, quæ legis æternæ imperia exequitur, & quamlibet rem proprio fini, tanquam exoptatæ fælicitati reddit, operam implorat. Hæc cælestis gratiæ, multiplices & mirabiles contentionum anfractus nosse debet, & quis hic modus tàm suauis, tàm plenus amoris, quo gratiæ efficacis influxus in liberum arbitrium illabitur, vt non solum illius libertatem non minuat, sed modo quodam admirando, illud ipsum consortium supremæ libertatis, constabiliat, & adaugeat: & an hoc patrocinium diuinæ gratiæ, sine quo nihil etiam cogitare possumus, æquali beneficio sit paratum, tàm his, qui ob flagitia à fruitione beatitudinis æternæ extorres sunt facti, quàm qui nitorem ac ornatum, à gratia acceptum, vitæq; integritatem, ac innocentiam conseruare nituntur, vt CHRISTO conformes euadant. Ad extremum vt cætera omittam, hæc rationes diuinorum decretorum, in tabulis æternitatis consignatas, mentis suæ acie, quantum est fas mortali, inspicere conatur. Ex his abditis ac reconditis fontibus, tot maximarum ac grauissima-

rum

rum rerum, prædestinationis scientia haurienda est illi, & summo labore colligenda, qui illius secretiora reserare ac tueri cupit. Et hæc quidem aliquantum leuiora viderentur, nec tantoperè animum conturbarent, si vis ingenij acris, motusq́ in obscuritatibus penetrandis, ac rationum telis retorquendis, celeres ac solertes præstò adessent. Sed cùm me ab his præsidiis, non vsq adeò ex omni parte, sicut exoptarem, instructum intelligam, insignem aliquē Patronum, qui & vetustate Equestris ordinis præfulgeat, rerumq́ diuinarum quadam incredibili scientia, copia, varietate sit præditus, huic meæ mediocritati præfigendum duxi. Nec me alium, præter I. C. V. tam facile posse reperire confido, quem diuina benignitas, & antiquitate generosæ stirpis ornatum, & plurimarum virtutum, ac sublimium scientiarum, ab ineunte ætate studio & amore incensum, Ecclesiæ suæ probatissimum Antistitem, & his nostris studiis, sapientissimum Cancellarium præfecit. Magnum est beneficium, & non nisi diuinitus datum, Princeps optimus, Dei imaginem repræsentans, quo procedente, vt verbis Senecæ vtar, omnes summi pariter infimi, tanquam ad benefi-

tum ſydus certatim aduolant, certiſſimum aut in proſperis, aut in aduerſis, leuamen & auxilium reportaturi; Imperatoris Rudolphi, inclytæ gentis Auſtriacæ primi authoris, hanc vocem fuiſſe Annales teſtantur: Non ideò Imperator ſum, vt in arcula includar, ſinite etiam tenuiores ad me venire. De tuis verò ſummis, ac præſtantiſſimis virtutibus, Illuſtriſſime Antiſtes, habeo quidem quod dicam, ſed non auſim, ne hac mea dicendi imperitia, potius illis tenebras, quàm lucem infundam. Loquentur hæc monumenta vetuſtatis, atq; inprimis quale tuum Studium fuerit, & in immunitatibus Eccleſiæ vindicandis, & in antiquo regimine animarum reuocando, propoſito reformationis vndiquaq; ſapientiſſimo ſcripto: & in diſciplina aurei illius æui, (in quo Sacerdotes tanquam ex auro fuſi, ob vitæ puritatem vocabantur,) arcta quidem ſed optima officij Magiſtra retinenda. Loquentur etiam muneris Senatorij officia, ſumma cum prudentia, dexteritate & autoritate peracta, & quanta I. C. V. in ſummis Reip. periculis auertendis, diligentia fuerit, quanta in publicis ſupplicationibus decernendis aſſiduitas, quanta in fideliſſimis conſiliis ſubminiſtrandis

dis prudentia, quam deniq; in re militari iuuanda, rara liberalitas. Ipsum verò monumentum, quod Tuis Magnificis impensis, frequens ac feruens operariorum manus vrget, quo Sacros Cineres D. Stanislai includere ac exornare moliris, nomen I. C. V. immortalitati consecrabit. Durabit hoc ad multa sæcula propagatum, & SISCOVIANÆ PIETATIS, in Diuum antecessorem, memoria simul propagata durabit. Quid hoc, in hac rerum varietate, ad immortalitatem comparandam excellentius, excogitari potuit? Quicunq; enim peregrinorum, aut tabulas ex voto appensas lustrabunt, aut de nouo dicabunt, ijdem hanc molem, in signum pietatis erectam mirabuntur: qui verò, Diui precibus in aduersis adiuti, gratias Deo persoluent, ijdem secum meditabuntur, singulare quoddam beneficium præcessisse, simulq; ad feruorem orationis inflammabuntur. Age, quod agis, Illustrissime Antistes, & quod vnum in vita solamen vnicè intueri cupis, vtinam illius conspectu, summa cum animi iucunditate, in multos annos perfruaris. Me verò interim inuitat, ac vehemẽter delectat, in omnes effusa, & vniuersis ad stuporem obuia humanitas, eademq;

spem

ſpem mihi facit animumq́ addit, hoc quod eſt à tenuitate mea elaboratum, Il. C. V. non aſpernaturam, ſed ſingulari fauore ſuſcepturam, & nominis ſui claritate illuſtraturam, & ab hominum minus beneuolo impetu, defenſuram. Mearum verò partium erit, diuino numini ſacris operando ſupplicare vt hanc I. C. V. valetudinis incolumitatem viuidam, ac refloreſcentem, ad Eccleſiæ ornamentum, Reip. defenſionem, noſtrorumq́ ſtudiorum incrementum, quàm diutiſſimè ſuperſtitem conſeruet. Ex Maiori Collegio Die 28. Menſis Iunij, Anno Domini 1628.

Illuſtriſſimæ ac Reuerendiſſimæ Celſ: Veſtræ

obſequentiſſimus,

M. Adamus Opatouius.

QVÆ-

QVÆSTIO.

DE PRÆDESTINATIONE.

Ex 1. P. Quæst. 23.

AN Prædeſtinatio, quæ eſt pars prouidentiæ, & cuius ratio eſt principaliùs in intellectu exiſtens, & ſupponens in Deo præuiſionē peccati: quoſdam ex maſſa corruptionis, infælicitatem ſupernaturalem per media determinata ordinans: quoſdã ab hoc fine deficere permittẽs; eo modo ſit facta; quod Deus prædeſtinatos, ante illorum præuiſa merita eligat; ob ſolã manifeſtationẽ bonitatis ſuæ, reprobos verò actu poſitiuo peccare permittat, vt oſtendat iuſtitiã vindicatiuã nec ne?

CONCLVSIO I.

Prædestinatio, cum non omnes creaturas, earumq; fines ordinat, sed solum rationalem creaturam, ad finem supernaturalem, per media proportionata transmittat, meritò pars prouidentiæ censenda, & principaliùs in actu intellectus, quam voluntatis reponenda.

COROLLARIA.

1. *Tàm prouidentia, quàm prædestinatio, importat ordinem Diuini intellectus, & voluntatis, in ratione tamen obiecti, finis, ac mediorum, latius se habet prouidentia, quàm Prædestinatio.*

2. *Ratio obiectorum ipsius prouidentiæ requirit à nobis, vt quandam naturalem, cuius obiectum sit natura, quandam supernaturalem, cuius obiectum sit gratia constituamus: asserentes nihilominus prouidentiam supernaturalem, consideratam in genere causæ finalis esse priorem, ita vt primo supernaturalis prouidentiæ decretum fuerit electio saluandorum ad gloriam & gratiam, quam res naturales propter electos fuerint ordinatæ: in genere autem causæ Materialis, & Subiectiuæ, priorẽ esse naturalem prouidentiam.*

3. In

3. *In Prædestinatione includimus naturalem prouidentiam, ita vt sit eminentèr, & virtute prouidentia naturalis, & supernaturalis, licet formaliter & in propria ratione, quam ex suo proprio obiecto sumit, sit tantum supernaturalis.*

4. *Actus ille primus quo Deus secundum modum nostrum intelligendi, dilexit & elegit quosdam ad beatitudinem, præsupponitur quidem, non est tamen formaliter Prædestinatio: sed solum ille actus, qui est excogitans & ordinans media ad vitam æternam, & qui diuinæ voluntatis approbatione est firmatus, formaliter & principaliter est Prædestinatio.*

5. *Prædestinatio actui diuinæ voluntatis, potest tribui antecedenter, & consequenter, seu completiuè, non tamen essentialiter formaliter.*

CONCLVSIO II.

Deus secundùm D. Augustinum, vidit in massa Naturæ humanæ, labè originalis peccati infecta, omnes homines, & ex hac quosdam extrahere decreuit, quosdam in ea relinquere & damnare.

COROLLARIA.

1. *Ante peccatum originale, præuidit Deus, & decreuit ab æterno, vniuersali quadam voluntate antecedente, omnes homines ordinare, per media supernaturalia sufficientia ad æternam beatitudinem consequendam.*

2. *Post præuisum peccatum originale, facta est per voluntatem consequentem, quæ quidem est beneplaciti, electio efficax omnium saluandorum.*

3. *Voluntas in Deo antecedens & consequens, est vnus & simplicissimus actus, qui respectu vnius voliti absolutè considerati, dicitur antecedens, & respectu eiusdem considerati cum aliquo adiuncto dicitur consequens, & ideò voluntas antecedens, importat in Deo actum conditionatum, quo vellet omnium salutem, si ex hoc non impediretur bonum Vniuersale diuinæ iustitiæ & misericordiæ.*

4. *Quamuis propter multa loca scripturæ, quibus Deus effusam suam voluntatem, erga omnium hominum salutem protestatur; sit probabi-*

le, quod voluntas in Deo antecedens sit actus propriè & formaliter existens: cum velle efficaciter & velleitas, sunt vnus & non diuersi actus, & si quæ est distinctio & imperfectio, hæc super rem volitam, non super actum voluntatis diuinæ cadit. Nihilominus asserimus, tanquam probabilus, & magis rationi consentaneum, quod in Deo solum est eminenter, seu virtualiter.

5. *Ante præuisum peccatum originale, non fuit in Deo ille actus absolutus voluntatis: volo hos homines excludere à gloria mea, sed fuit in ordine ad peccatum, quod peccatum esse non potuisset, nisi Deus, ante præuisionem peccati originalis, voluisset permittere hominem peccare.*

CONCLVSIO III.

Prædestinatio non solum includit finem, videlicet æternæ gloriæ collationem, sed etiam effectus & media, vt gratiam, fidem, satisfactionem, merita, perseuerantiam, eorumq; dispositionem, quibus in gloriam perueniendum est.

COROLLARIA.

1. *Prædestinatio cum importet diuini intellectus*

ordinem, seu actionem immanentem Dei Prædestinantis, non ponit aliquid formale in Prædestinato, quod sit substantia, aut accidens, per quod prædestinatus dicatur formaliter prædestinatus, sed solum dicit aliquos effectus, per quos prædestinati saluantur.

2. *Præter effectus communes & remotos, aut etiam proximè ordinatos ad prædestinationem, qui tamen ex malo vsu possunt esse causa damnationis, vt* CHRISTI *Domini passio, Sacramenta: sunt etiam proprij prædestinatorum à D. Paulo ad Rom: 8. enumerati vocatio, iustificatio, glorificatio, qui seorsum considerati, non faciunt infallibilem prædestinationem, collectiuè autem sumpti cum dono perseuerantiæ, indubitatam gloriæ consecutionem efficiunt.*

3. *Non est necessarium, vt hi tres effectus simul omnes, in quouis prædestinato reperiantur.*

4. *Mala moralia vt sunt peccata, cum dicant deordinationem, vt sunt contraria beatitudini, ex se non possunt esse media prædestinationis: si quando verò ordinantur, talis ordinatio non fundatur in peccatis. Sed in ipsa pura bonitate*

& omni-

& omnipotentia diuina, cuius est ex malo bonum elicere.

5. *Quandoquidem agnoſcimus, effectus prædeſtinationis, non ſolum media ſupernaturalia, quæ ex ſe ſunt proportionata ad beatitudinem, ſed etiam media naturalia, quæ res naturales prædeſtinatis ſunt conceſſæ & in quantum vt inſtrumenta virtutum ordinantur, idcirco reijcimus opinionem, quæ adeptionem beatitudinis, ſolis mediis tribuit, quæ ad ſtatum gratiæ ſpectant, inconueniens quoq; iudicamus aſſerere, quod prædeſtinatio nullo modo reſpicit media, quibus beatitudo obtinetur, ſed ſolum reſpicit beatitudinis aſſecutionem: cum omnia Dei beneficia, quibus electi ad vitam æternam perducuntur, ſint effectus prædeſtinationis.*

CONCLVSIO IV.

Poſt illam vniuerſalem voluntatem, qua Deus naſcituris ex Adam præparauit ſufficientia media, contra peccatum, & ſufficientia auxilia, ad conſequendam vitam æternam, habuit voluntatem permittendi, vt nonnulli ex hominibus peccarent, & eos deſerendi in ſuis peccatis, ac tandem reprobandi.

COROL.

COROLLARIA.

1. Id de misericordia Dei asserimus, nullum esse in hoc vniuerso, qui non aliquo auxilio supernaturalis gratiæ, à Deo præueniatur, aut in principio vitæ, cum ad vsum rationis peruenit, aut postea dum viuit, ita vt semper illi Deus intime, ac secreto mouendo, instigando, tàm intellectum, quàm voluntatem, det auxilia: quæ si accipiat, præsto est, vt ei det ampliora, & vberiora, non ex condigno, nec ex debito, nec ex aliqua lege, sed ex congruo; non congruentia ex nobis, sed fundata in largitate diuinæ misericordiæ decenti, quæ parata est semper potiora tribuere desiderantibus.

2. Prædestinatis non solum Deus dat auxilia generalia, sufficientia, sed etiam efficacia, quæ non solum se habent concomitanter, & simultaneè cum determinatione illorum voluntatis, ad bonum vsum gratiæ peruenientis, sed etiam se habent antecedenter, per modum prædeterminantis voluntatem.

3. Auxilium sufficiens distinguitur ab efficaci,

non

non ex aliqua extrinseca denominatione, sed ex eò quod est vtriq; intrinsecum, ita quod sufficiens dicatur, non quod contineat omnia necessaria, vt operatio sequatur, sed quia datur per modum potentiæ, & id solum habet, quod est ad rationem potentiæ necessarium, sicut efficax est, quod tribuit vltimam actualitatem, & vltimum complementum reducendo sufficiens, tanquam potentiam ad actum.

4. Suauis dispositio diuinæ prouidentiæ requirebat, vt cum Deus hominem liberum creauit, & in sua natura defectibilem, vt eundem secundum modum naturæ suæ tractet, & deficere permittat.

5. Voluntas qua Deus statuit permittere peccatum, non est exclusio à gloria, sed est hominem relinquere, in sua libertate, nec est causa positiua peccandi immittendo malitiam in voluntatem, sed est subtractio auxiliorum efficacium, & ideò permissionem dicimus esse bonam, & in Deum referendam, peccatum autem ex homine originem sumit.

 CON-

CONCLVSIO V.

Diuinæ Prædestinationis nulla Causa sufficiens ex parte nostra asignari potest, quo circa in solam voluntatem diuinam simpliciter tanquam in causam adæquatam referenda est: ita quod voluntas diuina sit illius causa efficiens primaria, finalis verò manifestatio, bonitatis, misericordiæ, ac iustitiæ vindicatiuæ.

COROLLARIA.

1. *Prædestinatio accepta pro vltimo effectu prædestinationis, videlicet pro consecutione gloriæ, vt communiter SS. Patres accipiunt, cum dicunt, quod merita sunt causæ prædestinationis, & sic causam habet: sed sumpta prædestinatio, secundùm omnes suos effectus, & secundùm omnia media, & sic ex parte hominis, nullam habet causam. Ipsi tamen effectus in particulari considerati, possunt antecedentes esse, causa & ratio subsequentium.*

2. *Si prædestinatos cum improbis inter se conferamus, inquirendo cur potiùs Petrum, quàm Iudam elegerit, cum pari ratione in hoc misericordia diuina, sicut in illo iustitia vindicatiua manifestari*

manifestari potuit? Eius rei nulla causa dari potest. Sed id totum in simplicissimam Dei voluntatem reijciendum est.

3. CHRISTVS Dominus collectiuè cum membris suis sumptus, in quantum est caput totius corporis Mystici, & sic non meruit nostram prædestinationem: in quantum verò hæc disiunctim sumuntur, CHRISTVS vt caput, electi, vt membra, & sic meruit nostram prædestinationem, ita quod voluntas diuina totius prædestinationis, quæ includit CHRISTVM Dominum vt caput, est prima causa, immediata verò in suo ordine, sunt merita CHRISTI Domini.

4. Non negamus opera nostra meritoria concurrere ad prædestinationem, sed negamus eo modo concurrere, quasi hæc præuisa de facto moueant Deum vt nos prædestinet, sed benè concurrunt, tanquam effectus prædestinationis, si quidem Deus vt decreuit nos prædestinare, ita decreuit opera meritoria dare nobis, quod quidem meritum habent ex gratia primò & principaliter, cooperatatiuè verò ex nostro libero arbitrio,

5. *Dogma igitur Pelagianum est, & ideò execrandum, quod opera moraliter bona, in quantum procedunt à libero arbitrio, secundùm suas vires naturales, sint ratio prædestinationis. Falsum quoq; quod prædestinatio pendeat ex præscientia boni vsus liberi arbitrij, aut quod ex eo aliquis prædestinetur, quod Deus præuidit, hunc benè vsurum gratia, & ideò vult ei gratiam: Sedè contra asserimus. Quia Deus vult alicui gratiam, & bonum, vsum gratiæ, ideò benè vtitur gratia.*

CONCLVSIO VI.

Reprobatio dicit actum positiuum diuini intellectus, quo firmiter decreuit velle se permittere peccata, & illa in æternum punire, ad manifestandam in reprobis iustitiam vindicatiuam.

COROLLARIA.

1. *Conueniens fuit vt diuina bonitas, non solum se per misericordiam in prædestinatis manifestaret, sed etiam per iustitiam vindicatiuam in reprobis, vt quemadmodum Ioannes Gerson lib.*

1. de

1. de Consol. Theologiæ inquit, resultaret carmen quoddam pulcherrimum, ex graui tenore iustitiæ, & molli cantu misericordiæ, de quali profitetur Propheta. Misericordiam & iudicium cantabo tibi.

2. *Reprobatio est ratio existens, in diuino intellectu, ordinans reprobos ad pœnam æternam, per ablationem gratiæ, & permissionem peccati impœnitentiæ, quæ ordinatio, à diuina voluntate approbatur, vnde reprobatio principaliter ad actum intellectus spectat.*

3. *Reprobationis consideratæ, secundùm omnes effectus simpliciter, nulla causa dari potest ex parte reprobi, sed si consideretur secundùm vltimum effectum, qui est peccatum, siue originale, siue actuale, cum obduratione & perseuerantia in eodem vsq; ad vltimum vitæ, sic ex parte nostra, hoc ipsum tale peccatum est causa reprobationis: considerata verò, quantum ad primum effectum, qui est prima permissio peccati, propter quod damnatur reprobus, siue sit originale siue actuale, nulla causa datur ex parte nostra. Sed*

illius causa, simplex & mera volantas diuina intendens permittere peccatum.

4. *Quando Deus ordinabat prædestinatos ad gloriam, simul habuit actum positiuum relinquendi reprobos à consecutione gloriæ.*

5. *Reprobatio diuina non est quidem causa peccati, sed benè est causa primæ permissionis derelictionis in peccato, & inferendi pœnam æternam.*

APPENDIX.

HÆc Sententia de Prædestinatione ex Diu. oraculis, doctrina D. Pauli SS. Conciliorum sancitis. Et Sanctorum Patrum, præcipuè ex D. Augustini libris, & Sancti Doctoris desumpta, quæ simplicem Dei voluntatem, tàm in prædestinando, quàm efficaciam in auxilijs conferendis solis prædestinatis, concessam defendit, tribuens libero arbitrio dependentiam & cooperationem, nemini laqueos desperationis inijcere debet, nec ab exercitio bonorum operum auocare. Facessant igitur ratiocinationes, vt D. Ambrosius ait non sobriæ, vt D. Bonauentura stultæ, vt Cicero Ethnicus, ignauæ, quæ omnem actionem ex vita humana tollunt. Nemo igitur dicat, prædestinatio Dei est infallibilis, si me elegit ad vitam æternam infallibiliter sine operibus saluabor. Si me reprobauit

probauit in vanum opera virtutum exerceo. Nam Deus prædestinauit nos quidem, sine operibus tanquam causis prædestinationis, sed non tanquam sine effectibus. Et benè operari, signum est prædestinationis, sicut malè operari reprobationis. Deinde hoc tanquam antydotum menti tuæ infixum habe, Deum neminem reprobare, nisi ob peccatum mortale, causa autem peccati non Deus, sed homo est, illiusq; deprauata voluntas. Quare diuino adiutus auxilio, peccatum detesteris, atq; sic salutem consequeris.